



**S**ebastianus Brand, qui & Ticio dicebatur, Argentinae anno 1458 natus & educatus fuit. Hic se studiorum gratia Basileam contulit, atque liberalibus artibus operam dedit. In ijs autem adeo felici successu progressus est, ut reliquos omnes artium Magistros facile superaret. Postea etiam Poëticae facultati incubuit, atque Iurisprudentiae uacare cepit. Cum hac ratione ob insignem eruditionem & rebus agendis dexteritatem praeditus esset, animum ad scribendum appulit, atque optimos quosque autores ut in lucem Basileae aederentur curauit. qua quidem in re Basileam inclytam Germaniae urbem mirum in modum exornauit. Inter alia librum edidit, quem *Nauem Narragoniae* appellauit. In quo causam & radicem stultitiae adeo eleganter expressit, mores hominum carpsit, & salutaria remedia tradidit, ut merito eruditam Satyram quis eum appellare queat. Eo enim tempore nihil salubrius aut iucundius legi poterat. Scripsit praeterea Elegiam in mortem Friderici Imperatoris, atque de Maximiliani captiuitate. Deinde sanctorum aliquot uitas, utpote Sebastiani, Onophrii, Valentini, Bernardi, Christianae, carmine celebrauit, atque multa alia in lucem aedidit, quibus omnibus effecit ut mirum in modum sese in Maximiliani Caesaris familiaritatem insinuarit. Floruit potissimum anno 1498. Trit.